



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoquoque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput II. Conditiones praedictas in Dei scientia simul omnes, &
excellentiſſimo singulas modo inveniri: quámque ideo hæc appetanda præ
cæteris omnibus sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

rumque ad nos minùs spectant, minorémque afferunt cognoscentibus fructum. At DEUS, præter summam naturæ excellentiam, & admirabilitatem, intimiori etiam, quàm quodvis ens aliud, necessitudine nobiscum jungitur: cognitúsque, majori, quàm quem ulla alia ex scientia referre fas sit, bonorum proventu nos ditat. singulas age partes intueri accuratiùs libeat.

CAPUT II.

Conditiones prædictas in Dei scientiâ simul omnes, & excellentissimo singulas modo inveniri: quamque ideò hæc appetenda præ cæteris omnibus sit.



T à nobilitatis prærogativa initium ducamus; revocari à nemine in dubium potest, quin hæc DEI scientiam quàm maximè exornet.

Nam neque aliunde, quàm ex objectis, plus, minúsve præstantibus, suam solent scientiæ majorem, minorémve dignitatem nancisci; nec ulla inter has omnes occurrit, quæ objectum tam sublime propositum sibi habeat, quàm quod ipsa intuetur: quæque ideo illam
ja-

jactare doctrinarum magnificentiam possit, quam ipsa, exordio unâ se digno, auditoribus suis pollicetur: (*Prov. c. 8.*) *In summis excelsisque verticibus stans, de quo illo quasi suggestu universis mortalibus prædicans, Ad vos, O viri! clamito. Audite: quoniam de rebus magnis locutura sum.* Quare Annæus Seneca tantum nobilitatis discrimen inter ipsam, & humanam quamvis scientiam agnovit; quantum inter diversa earum objecta intercurrit. (*Præf. L. I. Nat. Qu.*) *Tantum inter duas interest; quantum inter DEum & hominem.* Et Doctor Angelicus nîl dubitavit, supremam humanæ mentis perfectionem, ad quam veluti ad suum finem, scientiæ omnes collineant, in ea una statuere. *Ultima perfectio intellectûs est Divina Veritas: aliæ veritates perficiunt intellectum, in ordine ad Veritatem Divinam.* (*2. 2. qu. 180. a. 4. ad 4.*)

2. Quæ cum ita sint; jam cuius planissimè apparet, quantum novæ dignitatis consequatur mens, quæ huic vacat scientiæ: altissimis usque sensibus gravida, nobilissimis assiduè imaginibus picta, præstantissimisque veritatibus ruminandis semper intenta. *Nè vile aliquid putares, quale consuevisti cogitare, cum verba humana soleres audire; audi, quid cogites: in principio erat Verbum.* (*Aug. Tr. 1. in Joann.*)
O cogitationes heroicas, humanis superiores,
&

& Divinâ mente dignissimas. *Hæc inspicere, hæc discere, his incumbere* (cum citato nuper Seneca dicam) *Nónne transilire est mortalitatem suam, & in meliorem transcribi sortem?* Aliud, multoque pluris faciendum hoc est; quàm siderum cursus animo persequi, cælestium orbium spatia metiri, elementorum, ac constantium ex iis corporum naturas pervestigare: res scilicet è pingui materia concretas, certis definitas limitibus, nec DEO tantum inferiores, à quo condita sunt; sed ipso etiã homine, qui eas contemplatur. Hoc est, ceu D. Basilius loquitur, (*de Laud. Vit. Sol.*) *elevare se super se.* Hoc, cum Apostolo profiteri, (*ad Philip. 3.*) *(Conversatio nostra in cælis est.*) Hoc denique, supremam DEI essentiam, quantum à creata imagine exprimi potest, in se ipso repræsentare. Siquidem ex D. Thomæ doctrinâ, (*L. 3. cont. Gent. c. 25.*) *DEO maxime assimilatur creatura intellectualis, per hoc, quòd intellectualis est.* In genere autem hujus similitudinis magis assimilatur DEO secundum quòd intelligit actu, quàm secundum quòd intelligit habitu, vel potentiã. Et in hoc, quòd intelligit actu, maxime assimilatur, secundum quòd intelligit DEUM. Nam ipse DEUS, intelligendo se, intelligit omnia alia. Ubinam ergo illi sunt profani homines, qui, in argumentum generosæ in-

do.

dolis, nihil se, nisi excelsum spirare, & volve-
 vere animo crepant? Age, in medium de-
 promant magnificas illas cogitationes, & re-
 rum sublimium species, quarum conceptu
 tumida eorum capita consueverunt distendi.
 Quænam demum eæ sunt? Nempe Princi-
 pum gratia, populorum plausus, primarii
 Magistratus, urbium Præfecturæ, titulorum
 splendor, dignitatum insignia. *O curvæ in
 terras animæ, & caelestium inanes!* (*Pers. Sat. 1.*)
 Itane de his cogitationibus, tanquam præcla-
 ris & eximiis gloriari mentem deceat prius,
 æternique veri contemplandi gratiâ produ-
 ctam? itane hujusmodi cogitationes iis me-
 reantur secundum dignitatem coæquari, quas
 pia & simplex muliercula, divinas perfectio-
 nes secum ruminans, animo concipit? nec
 potius multo his humiliores habendæ sint;
 quàm præ curis Regum propriis, humiles vi-
 deantur agædonum de jumentis, & stabulis
 curæ? Pudeat illos, veram germanamque ani-
 mi nobilitatem non modò affectos nondum
 esse; sed neque compertam habere: inanique
 suo fastu deposito, tandem aliquando perci-
 piant, quemadmodum reperiri nullum pō-
 test DEO altiùs objectum; sic neque ullam
 excelsiorem posse dici mentem, quàm quæ
 circa objectum tam sublimè occupatur: sola
 ideo

ideo inter cæteras omnes gloriandi jus habens de nobilitatis præstantia secundum facultatem, quæ à DEO ipsi tribuitur, in iis apud Jeremiam verbis, (c. 9.) *Non gloriatur sapiens in sapientia sua: & non gloriatur fortis in fortitudine sua: & non gloriatur dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus.*

3. Nobilissima ergo inter omnes, propter summam objecti sui dignitatem, scientia DEI est. Sed neque minus peregrina & eximia, ob inusitatas, abstrusissimâsque veritates, quas suis professoribus detegit. Attollentes quippe oculorum aciem ad contemplationem supremi, infinitique illius Entis, novum alterum ingredi nobis mundum videmur: ubi ad singulos gressus alia nobis, atque alia se objiciunt perfectionum, decorumque miracula, usque adeò à nostratibus objectis diversa, omnemque adeò modum ac morem eorum, quæ pridem noveramus, excedentia; ut, ad illa quomodolibet intellectu apprehendenda, necesse nobis sit, veteris dialecticæ oblivisci, consuetas omnes humanarum rerum species missas facere, & novam quodammodo mentem induere. Nam quid, amabò, tam inauditum, tam singulare, tam ab omni usu & exemplo remotum; quàm Ens, sinè ul-

la

la existentiae suae causa, sine ullo sui ævi principio, sine ullo perfectionis suae limite: immensum, sed citra multiplicitem partium: sempiternum, sed citra successionem temporum: liberrimum, nec tamen mutabile: principium omnis motus, & tamen moveri profecto nescium: quod sit omnia, & ab omnibus simul differat: quod omnium varietatem bonorum in se colligat, & unum nihilominus, simplicissimumque sit bonum: quod ipsum per se suus sibi sit locus, suum agendi instrumentum, suae divitiæ, suum regnum, sua beatitudo, sua omnia? Ubinam, rogo, alibi plenior materiam invenire humana admiratio, ubinam suaviori pabulo expleri nostrarum mentium curiositas possit? *Quid hac voluptate jucundius? Liceat mihi cum D. Hieronymo concludere. (Ep. 155.) Qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quam DEI scire prudentiam, & in abdita ejus intrare? Nec, quia contemplantis mens, inter novitates tam multas, tamque admirandas, confusa hæreat, desperetque, non modo illas omnes comprehendere, sed vel ad unius caput quantocunque suo nisu pertingere; minorem ideo ex earum indagatione voluptatem percipit. Vel exiguissimum nempe illud, quod ex tantis rebus assequitur, multò plus admirabilitatis, magnificentiaque ha-*

habet; quàm integra & plena naturalium quarumcunque veritatum comprehensio. illudque tantò amplius, quod in nondum emensa, nec unquam permeabili ulteriorum spatorum infinitate, latet simul, & lucet; hac ipsa de causa, quòd omnem humanæ investigationis vim, & scientiæ amplitudinem transilire cognoscitur; intuentis animum dulci quodam stupore suspensum, atque attonitum detinet. *De rebus altissimis etiam parvâ & debili consideratione posse aliquid inspicere, jucundissimum est* (L. I. contra Gent. c. 8.) Verba sunt Doctoris Angelici, non à sua minùs experientia, quàm à communi ratione ad ità sentiendum, & scribendum impulsæ. Præterquam quòd tantæ immensitatis objectum, ceu repetitâ, vel productiori speculatione clariùs semper, atque uberius dignoscitur; ità usque novam inexhaustæ voluptatis materiem pergit speculanti suppeditare. Certè plus bonorum alicui in promptu esse, quàm quod exhauriri ab eo penitus queat, adeò illius felicitati, & delectationi minimè officit; ut tota divitiarum æstimatio, & jucunditas in hac una supra usum affluentia consistat: nec quisquam Apicius, vel ejusmodi alius ciborum gurges, hilariter minùs epulo accubuit, ubi eduliorum copia quantumcunque sui stomachi, suz-

B

que

que saturitatis modum excederēt; quàm alteri, ubi dimensa ex naturæ usu omnia, nihilque superfuturum jam expletæ aviditati suæ foret.

4. Perge jam, videamus, num *DEUS*, ceu quibuslibet aliis objectis, secundum commemoratas duas dotes, nimirum naturæ excellentiam, & decorum admirabilitatem, præeminet; sic, secundum quoque tertiam, nempe innatam nobiscum affinitatem, iisdem mereatur præferri. Atqui meridianâ luce clariùs id patet: cum quæcunque nomina, unde aliquid nos propiùs attingit; in eo simul, & propriissimè omnia conveniant. Tria, ni fallor, hæc sunt: vel quòd illa res, scilicet nativam nobiscum necessitudinem habeat; vel quòd nostris usibus peculiariter serviat; vel quòd singulare aliquod nostrum bonum contineat. Quodnam igitur ex prædictis nominibus usquam alibi æquè excellens, & proprium reperiri, ac in *DEO*, potest? Congruit primò illi, esse nostrum omnium parentem, & multò quidem potiori jure, quàm cuivis parentum mortalium: tum quia nihil hi nobis, præter corpus caducum, extimam, & vilissimam nostri partem, dederunt: imò nè corpus quidem, sed corporis duntaxat rudimentum, & informem materiam, cum igna-

ri omnino essent illud rite disponendi, & per convenientes sibi numeros, atque partes formandi: tum quia hoc ipsum qualecunque beneficium temerè nobis, fortuitoque præstiterunt, sinè ulla videlicet, seu distincta nostri cognitione, seu voluntate, nos potius, quàm quemcunque alium mortalem gignendi. At cælestis Genitor peculiari, æternòque decreto nosmet præ innumeris aliis, quos nostri locò velle poterat, ad vitæ hujus, atque lucis usuram elegit: mox divinæ artis suæ manum sub materna viscera immittens, indigestam, quæ ibi claudebatur, nostri corporis massam suos in artus distinxit: immortalémque illi spiritum, à quo vitam haberet, inque hominis specie constitueretur, infudit. Quare ipsum præ quovis alio habere in parentis loco debemus, & cum Isaia illi dicere, (c. 65.) *Tu pater noster es, & Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos.* Præterea, primo hoc munere haud quaquam contentus, in singula nobis momenta providentissimi tutoris ritu adest, producens, & conservans ea, quorum indigemus, cùmque causis secundis, tanquam princeps author, continuè agens, quæcunque in nostros usus illæ agunt: quemadmodum pariter assiduâ præsentique ope ad quoscunque nostros actus vitales nos adjuvat.

vat. Adeò ut magis ille dicendus sit nos nutrire, quàm cibi, queis vescimur: magis nos sustentare, quàm terra, cui innitimur: magis nos defendere à tempestatum injuriis, quàm tecta, quæ incolimus: magis fingere nostras voces, quàm lingua, cujus ministerio promuntur: magis demum conferre ad nostros videndi, audiendi, intelligendi, volendi, & quoscunque alios actus, motusque, quàm ipfimet sensus, & corporis, animæque facultates, quæ naturalia eorum sunt instrumenta: ceu ille, in quo præcipuè, magisque, quàm in nobismet ipsis, (*Act. 17.*) *Vivimus, movemur, & sumus.* Postremò dubium esse nemini potest, quin ipse ultimus ille finis sit, cujus gratiâ procreati sumus, & in cujus affecutione supremum nostrum bonum, nostraque omnis beatitudo consistit. Quapropter stupidissimus, humanoque omni sensu carens existimari mereretur, qui nîl pensi haberet noscere objectum adeò sibi intimum, secumque tam penitus quovis genere affinitatis conjunctum.

5. Imò ex hoc ipso nomine, quòd DEUS noster ultimus finis sit, argui jure optimo potest, illius cognitionem, præterquam quòd peculiari ratione ad nos spectat; utilissimam item omnium maximèque necessariam nobis esse.

esse. Cùm enim nihil perinde nostra inter-
 sit; nostrum finem ultimum consequi; ceu
 ad hunc consequendum nulla alia nos magis,
 quàm illius, cognitio adjuvat; sic nulla item
 alia nobis opportunior, magisque necessaria
 esse potest. Quod quamvis extra omnem
 controversiam sit; quia tamen ad divinæ sci-
 entix commendationem plurimum valet; o-
 peræ pretium fore arbitror, distinctius pau-
 lò agere de validissimis ad ultimum finem ob-
 tinendum præfidiis, quibus illa nos instruit.
 Et multa eorum quidem consideranti se ob-
 jiciunt: sed brevitatis ergo ad duo illa con-
 traxisse sufficiet: ad amorem videlicet summi
 Boni, atque despicientiam inferiorum bono-
 rum, quæ fallaci sua specie ab illo nos avo-
 cant: effectus sanè ambos, quàm permagni
 ad æternam salutem momenti; tam divinæ
 proprios scientiæ: cui proinde multò justius,
 quàm humanæ Philosophiæ illud congruit
 Tullianum elogium, *O vitæ Philosophia dux,*
O virtutis indagatrix vitiorumque expultrix, quid
non modò nos, sed & vita hominum sinè te esse po-
tuisset? (Tusc. 5.)

6. Utque à posteriore ordiar; nonne
 apertè intuemur, quemadmodum, sole exor-
 to, nocturnus quivis siderum fulgor evanes-
 cit; sic, ad boni valde eximii conspectum,

deficere vulgarium æstimationem bonorum? Innumera sunt exempla, quæ unusquisque sibi possit effingere, si ad honores, divitias, ædificia, oblectamenta, & seu corporis, seu animi decora mentem reflectat. In singulis quibusque generibus, quod admirationi modo erat, ubi alterum duplo majoris excellentiæ occurrat, dimidiâ pristinæ æstimationis parte decrescit: sique tertium centuplo præclarius ex adverso appareat; nullius pretii jam est, proque vili & gregario despicitur. Fac ergo, alicujus intelligentiæ multo, & vivido in lumine affulgeat infinita DEI perfectio, pulchritudo, & majestas: numquid ille, tam eximium & incomparabile objectum præ oculis habens, magnum quidquam existimare in humanis rebus poterit? Minimè quidem: sed, in immensi exuperantissimique illius boni admiratione defixus, quidquid in hoc in orbe splendidi & magnifici apparet, nè obtutu quidem dignabitur: aut, si fortè intuetur; tale spectanti videbitur, quale videretur, si è supremo cæli vertice illud aspiceret, atomo scilicet, vel pulvisculo minus. *In excelsis habitabit, (Isai. 33.) Regem in decore suo videbunt oculi ejus: cernent terram de longè: Ipsique etiam eveniet, quod Gentium Apostolo evenisse legimus, cum inter conversio-*

nis

nis suæ initia, Christi Domini visione dignatus, ad reliqua omnia cæcus illicò evasit, (*Act. 9*) *Apertisque oculis nihil videbat*: Quòdque Apocalypseos scriptori, Joanni, cujus ab oculis, cùm DEum in cælesti suo folio eminentem contemplaretur, tota subitò evanuit creatarum uniuersitas rerum: (*c. 20.*) *Vidi thronum magnum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra, & cælum.* Vel Democriti illi, atque Anaxagoræ, quorum mens ultra naturæ limites non assurgebat, ex mera nihilominus mundanæ totius molis consideratione quamdam concipiebant, ut Platonis phrasi utar, (*6. de Rep.*) *Cogitationum magnificentiam*, animi nempe altitudinem, quidquid in terrenis rebus vulgus miratur, pro humili exiguòque aspernantem. Quocirca inter alios Philosophiæ naturalis effectus, hunc itidem M. Tullius recenset, quòd, exaggeratis splendidisque illius speciebus imbuti, (*Acad. Qu. 4.*) *Erigimur, elatiores fieri videmur, humana despiciamus, cogitantesque supera & cælestia, hæc nostra, ut exigua, contemnimus.* Et Plato, cujus paulò antè meminimus, horum quempiam describens, cælum animo peragrarè, & cum ideis colloqui solitum; quales indè hauriat de Regum potentia, & possessionibus divitum sensus, sic exprimit: (*in Thæet.*) *Etenim, cùm*

tyrannum, aut Regem laudari sentit; unumquemdam pastorem ovium, vel bubulcum extolli existimat, quod abundè mulgeat. Cùm verò agrorum decem millia jugerum, vel plura etiam prædicari audit, quasi magnum quid ab eorum Domino possideatur; exigua quædam audire se putat: quippe qui universum orbem terræ spectare sit solitus. Si ergo mera visibilis mundi contemplatio omne adeò in horum sapientum animo deprimebat rerum humanarum pretium; quantò illud magis in Christianorum sapientum animis deprimet intelligibilis alterius mundi, DEI nimirum cognitio, præ quo tota conditarum rerum universitas nihil dici majus potest, quàm (*Sap. 11.*) *Momentum stateræ, & tanquam gutta rosis antelucani, quæ descendit in terram?* Ex Trifinegisto audire libeat: cui solius humanæ rationis jubar fat fuit, ut luculentissima hujusce veritatis testimonia relinqueret, tum in Pimandri capite nono, ubi ait: *Homo DEO devotus, quamprimum divinam prægustaverit visionem, oblivioni reliqua omnia tradit;* tum in proximè subsequenti, ubi adjungit: *qui id intelligit, nihil cogitare amplius potest.* Quin imò ex locupletiori alio, & idoneo magis teste addiscere id libeat, sanctissimo nempe Gentium Doctore, qui supernaturali luce illustratus, pro concepta indè supremi sui authoris notitia, quidquid

quidquid terrenorum decorum est, non contemptui duntaxat, sed abominationi etiam profitetur se habere: *Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror, ut stercora. (Ad Philip. 3.)*

7. Neque minùs proprium Divinæ scientiæ est, excellentissimi objecti sui amorem producere. Quemadmodum enim ignis, quantacunque vi polleat, minimè hanc valet in absentes, ac remotos expromere, quantoque fit corporibus propior, tantò majorem ea calefaciendi habilitatem nanciscitur; sic & bonum, quantacunque magnitudinis fit, nullo sui sensu inflammare animos potest, quibus per cognitionem præsens non fuerit: quantumque hæc interior præsentia & propinquitas crescit; tantò major indè consequitur amoris producendi efficacitas. Imò tam impossibile est, quidquam amari, citra ejus notitiam; ut Doctor Angelicus hinc conficiat, necesse omnino esse, ut Spiritus sanctus non à Divino solùm Genitore, sed à Filio etiam procedat. Siquidem cum filius procedat. (*1. p. qu. 36. a. 2.*) *per modum intellectûs, ut Verbum, & Spiritus sanctus, per modum voluntatis, ut amor; necesse est, ut amor à verbo procedat. Non enim aliquid amamus, nisi secundum quod conceptione men-*

tis apprehendimus. Quid refert igitur, Deum ignem esse immensæ virtutis, totique hominum generi vitalibus charitatis suæ flammis absumendo parem: (*Deut. 4.*) *DEus noster ignis consumens est?* Tota hæc illius ardoris immensitas nè scintillulam quidem amoris excitare in animo poterit, qui congruenti cognitione illius careat. Nimis arcta est cognatio caloris cum luce: nimis certa, & perpetua naturæ lex, ut affectio ab intelligentia dependeat. Quanta mentis illustratio est, tanta esse solet voluntatis incensio: & prout clarè, vel obscure bonum cognoscitur; ita etiam seu flagranter, seu frigidè amatur. Qui Divinam Charitatem concipere amat; Divinam sibi Sapientiam desponsit. Una hæc potest tantam sobolem parere. Sique id mihi non creditur: ipsi saltem credatur, sua inter spectatissima decora primum hoc venditanti, (*Eccli. 24.*) *Ego Mater pulchræ dilectionis.* Paucis, quod in cælo est aperta DEI visio, hoc in terris pro suo dici modulo potest ænigmatica ejusdem cognitio. Ceu quippe ab ea superis; ita ab hac nobis perfecta charitas provenit: plenissimus scilicet bonorum omnium cumulus, & quidquid rationali animæ licet, seu perfectionis in præfenti vita acquirere, seu beatitudinis possidere in futura. Unde per contemplationem Divinæ

Ve-

Veritatis. Concludit hinc D. Thomas, (2. 2. qu. 80. a. 4.) *Fit nobis quædam beatitudinis inchoatio, quæ hinc incipit, ut continuetur in futuro: Suam confirmans sententiam ipsiusmet Aristotelis autoritate, qui in contemplatione optimi intelligibilis ponit ultimam hominis felicitatem.*

8. Sed quamvis commemorata hæctenus emolumenta sat perspicuè demonstrant Divinæ utilitatem scientiæ; adhuc tamen liquidius certiusque fas erit agnoscere, quanti ea sit in rem nostram momenti, si perniciosissima observentur effecta, ex privatione illius consequentia. Etenim undenam illa oriri dixerimus tot errorum, scelerumque contagia, quæ per orbem latè universum grassantur, & innumeris humanum genus cladibus vastant? Unde illam adeò abnormem, & ubique spectari obviam judiciorum, noxia utilibus antecedentium, perversitatem, perduellium rationi cupiditatum licentiam, morum omni genere improbitatis corruptorum, fœditatem, divini humanique juris perturbationem, & ultima quævis flagitia perpetrandi impudentiam? Non longo circuitu & labore opus est ad reperiendam tot exitiorum originem. Uno illam verbo S. Bernardus designat, (*Serm. 38. in Cant.*) *De ignorantia DEI universæ malitiæ consummatio venit.* Ità profectò hæc radix unica
pe-

pestiferorum illiusmodi germinum est : hæc scaturigo , unde in orbis perniciem tantum exundat vitiorum , malorúmque diluvium. Nimis rara , atque tenuis est inter homines summi boni cognitio. DEUS plerisque ita est , ac si prorsus non esset : adeò nihil de illo cogitant , adeò ignari illius vivunt. Et quid mirum deinde , si aut illum nescientes , ab eo procul devient ; aut ab eo deviantes , in quavis præcipitia & abrupta miserrimè corruant ? *Non est veritas , non est scientia DEI in terra* , iustissimè Oseas quæritur : (c. 4.) Et quid inde ? nimirum , quod protinus idem subtexit , *Maledictum , & homicidium , & furtum , & adulterium inundaverunt*. Qualis , seu purus , & perspicax , seu malè affectus , & cæcutiens interior hominis oculus fuerit ; talem etiam totum hominem fore Divina Sapiencia pronuntiat. *Luc. 11.) Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex ; totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit ; etiam corpus tenebrosum erit.* Cùm Regium Vatem audieris , Christi Domini hostibus mentis cæcitate imprecari , (*Pf. 68.) Obscurentur oculi eorum , nè videant ; expecta additurum continuò , Et dorsum eorum semper incurva.* Imò nè expecta quidem , sed enuntiatum jam satis in priorè versiculo puta : cùm , teste S. Augustino , neque.

queat à posteriori execratione immunis esse, qui prima sit confixus. nec erectos habere humeros, cujus oculi videndi usu careant. *Quia, cum cessaverint superna cognoscere; necesse est, ut de inferioribus cogitent.* Quod supremis temporibus in majori mundo continget; nullo non tempore videmus in minori contingere. Quemadmodum ibi *Sol obscurabitur: (Matt. c. 24.)* illiusque obscuritati universalis cæterarum rerum omnium perturbatio succedet, *Et luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de celo, & virtutes calorum commovebuntur:* Ità & hinc, si divinus Sol cognitionis suæ jubar menti subduxerit; horribilis quædam in tota hominis vita, universisque actionibus, & animi facultatibus vastitas & confusio subsequitur: adeò ut vel ipsa defecisse simul videatur naturalis ratio, quæ, instar lunæ, ac stellarum, compensare aliquatenus jacturam diurnæ lampadis poterat. Animadversum scitè est ab antiquo Scriptore, (*Lucian. de non cred. cal.*) Ferales tragædiarum nodos necti plerumque ab ignorantia solere. Sed enim multò id certius animadvertere nobis fas est in quibuslibet animarum tragædiis. Cùm nemo damnatorum ad inferos sit, cujus tristissima, æternūque lugenda catastrophe ex **DEI** ignorance sua primordia non duxerit:

PRO-

prout ipsimet ad unum omnes fatentur, seri accusatores transactæ olim apud superos vitæ, horrendoque illo è barathro, in quod sua illos cæcitas præcipitavit, miserabili cum eulatu clamitantes, (*Sap. 5.*) *Ergo erravimus à via veritatis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Ah non unus, non unus est Pharao, surdus ad imperia, quia cæcus ad notitiam cælestis sui Domini. Superba & contumax illa ejus responsio, (*Exod. 5.*) *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus? Nescio Dominum, & Israël non dimittam,* à quo non impiorum saltem practicè repeti audiatur? *Nescio Dominum,* ait vindictæ appetens: & ideo injurias condonare hostibus nolo. *Nescio Dominum,* ait voluptatum helluo: ideoque refrænare interdictas libidines nolo. *Nescio Dominum,* auri idololatra inquit, ideoque abstinere ab injustis quæstibus nolo. *Nescio Dominum,* clamant in summa omnes, qui vitio quopiam irretiti tenentur: atque hoc in causa est, cur tam parvi illum pendant, & quotidianis criminibus, atque offensis irritare nîl dubitent. Si enim infinita illius merita, pro eo ac par est, comperta haberent; nè majori cum reverentia, & obsequio tantæ illi Majestati servirent. *Si cognovissent; nunquam gloriæ Dominum crucifixissent.* (*1. ad Cor. 2.*) Atque huc procul dubio spectabant illæ
D.

D. Ignatii Parentis mei voces, cum extra se animo raptus, & corpore à terra sublimis, inter admirationem Divinæ Magnitudinis, quæ tunc se illi intuendam præbebat, inærorémque de neglectu, in quo eadem apud plerisque hominum est, audiebatur ex imis præcordiis repetere, (*Bart. in vita L. I. n. 27.*) *Ah DEUS! si te homines nossent?* Ah maximè DEUS, primum principium, & ultime omnium finis, cur tam rara, atque exigua tui, tanti Boni, notitia inter mortales est?

9. Quocirca, veluti antiquus ille Laco, (*Plut. in Apophth.*) cum irritò diu conatu laborasset, exanime cadaver ita supra pedes statuere; ut, iis per se innixum, viventis, atque erecti habitum retineret; necesse est (tandem subjecit) magnum hinc quidpiam deesse; sic ex summa ad rectè vivendum inhabilitate; quæ in animabus DEI scientiâ destitutis se prodit, arguere & nos meritò possumus, quàm necessario, utilique instrumento illæ careant: colligendo ad extremum, si supremi illius Veri atque Boni ignoratio totius perversitatis fons est; fieri neutiquam posse, quin ejusdem cognitio totius sit probitatis fundamentum & caput. Neque id colligentes, quidquam illi novæ laudis impertiemur, quæque ipsius excellentibus meritis persoluta multò pridem
haud

haud fuerit. Cùm non modò Trismegistus talem eam nobis exhibeat, scribens, (*Pim. 10.*) *Hæc unica est salus homini, cognitio DEI, hæc ad Olympum ascensio: ex hoc uno anima bona*, sed in sacris quoque Literis similibus titulorum magnificentiâ exornetur, tum à sapientiæ Scriptore, qui eam (*Sap. 15.*) *consummatam justitiam, & radicem immortalitatis* nuncupat, tum ab ipso DEI Filio, qui, æternum Genitorem suum alloquens, in ea profitetur veram immortalémque hominis vitam consistere: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum, & quem misisti, Jesum Christum.* (*Joan. 17.*)

10. Et sanè, O te Lector! beatum, si ad quærendam tanti momenti, atque pretii scientiam toto pectore incumbas, ulteriùs in ea semper proficere, atque ulteriùs contendens, quoad splendidissimam, &, quantum fieri potest, maximè eximiam incomprehensibilis illius objecti speciem menti tuæ impresseris: adeò ut quævis DEI recordatio, vel mentio ad permovendum tibi subitò animum, & intimo quodam reverentiæ, admirationis, atque amoris sensu complendum sufficiat. Quàm novos & optabiles indè fructus percipies? quantâ Divinorum munerum affluentiam ditaberis? quàm dulci cum stupore te aspicias, intrâ breve temporis spatium
fe.

feliciter adeò immutatum? tantò nimirum meliorem te ipso, à terrenis puriorem affectibus, tranquilliozem à perturbationibus animi, & ad omnia interioris vitæ exercitia paratiorẽ & compositum magis? nullum finem faciens celebrandi faustissimum diem, quo cælesti huic Philosophiæ incœpisti vacare, deque ipsa profitendi, quod Hebræus ille olim profitebatur sapiens: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Et lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia: & ignorabam, quoniam horum omnium mater est. (Sap. 7.)*

C A P U T III.

Colligitur ex hæctenus dictis, quàm ardens, & commune in hominibus esse deceat cognoscendi
DEI studium.

Conclusio, quam hujus capitis titulus præfert, ex duorum præeuntium doctrina planè adeò & perse subsequitur: ut supervacuum videretur, in ea ulterius demonstranda immorari, nisi necessarium id faceret mira quædam in plerisque hominum vecordia, & stu-
C pi-